



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De  
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, MDXXXIV.**

**VD18 90392167**

Q. 4. An dum Baptismus sit per immersionem, requiritur emersio ad ejus  
valorem?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41032**



tus quam primum cautè extrahatur, ac si vivus fuerit, baptizetur. Rituale Roman.

Q. 3. An ad valorem baptismi requiritur trina infusio vel immersio?

Resp. Unica sufficit. Constat i. ex c. de trina de consec. dist. 4. & ex praxi Ecclesiæ, quæ sæpè unicam adhibuit. 2. Quia unica sufficit ad veram abluionem. Cæterum in praxi Minister tenetur servare suæ Ecclesiæ consuetudinem, & curare ut singulæ abluiones singulorum SS. Trinitatis personarum invocationi respondeant, ut Ritualia præscribunt; item ne forma totaliter perficiatur antequam perfecta sit ablutio totalis, ne scilicet aliqua pars illius abluionis reddatur inutilis.

Q. 4. An dum Baptismus fit per immersionem, requiritur emersio ad ejus valorem?

Resp. Non pauci affirmant; sed plures alii negant: quia ad veram abluionem requiritur solum immediata & successiva aquæ ad corpus applicatio, orta ex motu locali vel aquæ supra corpus, ut fit in effusione & asperzione, vel corporis super aquam, ut fit in immersione; sive postea fiat emersio, sive non. Hinc inferunt validum esse Baptismum infantis, quem quis in flumen aut puteum projicit animo eum Baptizandi, & simul submergendi; modò formam debitam proferat antequam infans aquis suffocetur: quia tunc adsunt materia, forma, & intentio requisita ad valorem Baptismi.

Porro



Porro certum est non licere infantem sic projicere, etiamsi aliter Baptizari nequeat, & timeatur statim moriturus, quia hoc esset directè occidere innocentem, nam hæc immersio per se ac directè est occisiva infantis: ad ablutionem autem per accidens ex sola intentione mergentis dirigitur.

Not. Idem qui profert formam, debet abluere: alioqui forma esset falsa, ideóque baptismus nullus.

*Q. 5. Quenam est forma Baptismi?*

*Resp. I.* Hæc est, *Ego te baptizo, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Ita Conc. Florent. & Rituale Rom. addens hæc verba uno & eodem tempore quo fit ablutio, esse pronuntianda.

*Resp. II.* Ad valorem Baptismi exprimi debent ablutio actualis, seu ablutio ut actu exercita, & persona Baptizandi, ita ut hæc voces *Baptizo te*, vel æquivalentes sint de essentia formæ. Constat 1. ex perpetuâ traditione, & praxi Ecclesiæ ita interpretantis verba Christi, *Baptizantes eos.* 2. Ex c. 1. *de Baptismo*, & ex Florent. Hinc Alexander VIII. damnavit hanc propos. *Valuit aliquando Baptismus sub hac forma collatus, In nomine Patris, &c. prætermisissis illis, Ego te Baptizo.*

*Resp. III.* Necessariæ quoque sunt hæc voces, *In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti.* Constat 1. ex Matth. ult. *Baptizantes eos, in nomine*  
*Patris*